Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis 31 Martij

M. LUDOVICO GALLAIS, Doctore Medico, rei Herbariæ Profeſſore, Præſide.

Eſtne corporis exercitatio omnium ſaluberrima à gaudio?

EXERCITATIONEM nullam agnoſco, niſi motus participem; nullam approbo, niſi laboris expertem; mediam inter utrumque, ſi valetudini proſpicit, Medicam appello, nunc Medicis de nomine quam de facie notiorem. Corporis agitatione deſcribitur, quæ conſuetâ & familiari vehementior, habitus mutatione terminetur. Hanc ferè neſcias utrum anhelitus, ſudoris, coloris, caloriſve modo metiaris. Meminimus quidem de Gymnaſtica Athletarum inſtitutione: de bellica diſciplina etiamnùm aliquid audimus. Utraque nimis laborioſa ab optima quaque ſeſe exercendi ratione tantum abfuit quantum à valendi propoſito: genere tamen totuplex fuit quotuplex & Medica exercitatio. Noſtro motu rectè diſtinguitur, alieno, vel mutuo: tumpræterea movendi ſe tarditate vel celeritate, vehementiâ vel exceſſu: ſeu quis utatur ambulatione, ſaltatione, curſu, pilâ, diſco, folle: ſeu navigatione, vectione, frictione, geſtatione: ſeu denique luctâ, umbrabili pugnâ, aut equitatione concitatiori. Næ quorſum perſequerer tot veterum inſtituta, quæ propemodum omnia propter vetuſtatem, incommodum, religionem obſoleverunt: aut hodierna recenſerem coævorum ſtudia & ludos, velut quædam medicarum exercitationum ſimulachra, quæ ſolâ voluptatis, nec ullâ ſanitatis curâ excoluntur nunquam homini ſalubriora: quam cum univerſi corporis partes & humores communi quodam flabello ſatis agitabunt. Ut quemadmodum ventilatio ſolet probum triticum à paleis ſpiciſque inanibus: ſic exercitatio ſanguinem, & corpus relinquat ſuis ab excrementorum ſordibus expeditum.

SANGUIS naturæ opus, vitæ parens, animæ miniſter, ſanitatem efficit & tuetur incorruptam; ſi è multiplici corporis viſcere, in quo viciſſim elaboratur, quoquo verſum pervadit admodum idoneus ſingularum partium nutrimento & officio. Ad quod utrumque ſingulari tenuitate nitere debet & vigere, ut vigeant viſcera, niteatque corpus integrum, & à ſupervacanei humoris reliquiis maximè vacuum. Hæ enim velut domeſticæ hoſtes, vel minaces hoſpitæ, niſi per communes cujuſque regionis vias & meatus exierint foras; Eheu quantas in vitali fundo turbas excitabunt! Alui, renum & veſicæ ſegnities; univerſæ perſpirationis interturbatio ac difficultas; peculiarium denique tot excrementorum intus recondita ſpurcities, ſanguini labem aſpergent; aut circumeunti moras interponent. Quibus dimovendis multumne opis conferet navigatio, vectio, geſtatio, tot immoti corporis motus maximè inertes? At certè nunquam impedient, quin vitiato venarum & arteriarum ſucco tam ſalutari; prohibito deinde liberiori ejus ad partes aditu, prompta ſit futura quarumlibet offenſio. Quæ vix ſatis præcavebitur aut pilâ, aut venatione, utroque iſto tam nobili quam famoſo omnis exercitationis compendio. Nam ſi quid excrementi ſuperis ſeorſim, aut inferis artubus alterutrius ope detrahitur; nemo tamen inde ſalutem ſperabit quam ex gaudio majorem, qui ſecundæ aut adverſæ valetudinis fontem viderit in interno corpore, neque utriuſque rivulos conſectabitur in externâ quadam muſculorum & oſſium compage.

NON ſecus ac immortalis animi cum mortali corpore haud æqua in homine conjunctio, noſtrum ferè ſuperat captum; ita etiam mutua iſthæc amborum fides, qua ſibi invicem agendo reſpondent; nihilo tardius quam pneumaticum organum pulſanti muſico; vix evidentius quam cum fruendi boni, & mali fugiendi cauſa tantopere commovemur; at numquam ſalubrius, quam cum ſincerum gaudium nos delectat. Vehemens eſt affectio, qua animus ſeſe effundit in hoc quodcumque boni genus, quod velut ſuum percepit, neque tam arcte complecti poteſt, quin ſanguis & idoneæ quæque partes ad ejuſdem complexum ſtatim explicentur, ea corporis mutatione quæ externæ exercitationi vehementiâ non concedat, ſed utilitate præferatur. Cor enim nativi caloris, quo uno vivimus, & gaudii theatrum, toties univerſi corporis plauſum concitat: quoties pendentia ex eo vaſa & vaſorum oſtia, quoquo animi gaudentis mandato apertius patent, & inſolitam ſanguinis copiam ocyus tranſducunt. Qui ſuccus vitali utroque foco ſubtiliter excoquitur, temperatus in pulmone, ut ſpirandi ſic ridendi inſtrumento, unde ſe recipit ad arteriarum tubos, poſteaque ad intimos ſuperiorum inferiorumque regionum ac partium receſſus, quas varia deinde ſuæ tenuitatis ratione alit, & agit. Cave credas eum aut ulla fibrarum virtute attrahi, aut ſolo cordis motu tam longè propelli. Rectiùs dixeris tanta ſpirituum, quos una calidi nativi officina excudit & tranſmittit, agilitate & æquabilitate deferri: quantam nulla externorum muſculorum & oſſium motio poſſit, niſi acerrimo gaudii ſtimulo impellatur, aut celeritate ſimilem ciére, aut uſu ſalubriorem.

QUISQUIS externorum membrorum agitationem cum gaudio ſalubritate conferet, non minùs à vero averſus eſt, quam qui febrem ex inguinis bubone, aut brachii furunculo accenſam, cum internæ & aſſiduæ febris periculo vel magnitudine comparabit. Humor quilibet & interna viſcera, ſi ullo artuum calore & commoventur & excandeſcunt: aut brevis erit, neque ferè utilis, qui concipietur ardor; aut diuturnus, neque multum à fatigatione, & laboris incommodo diſtabit. Hunc ideo ſegnis & privata ſequitur aut incompoſita corporis mutatio, alio atque alio ſeſe viciſſim torquente partium muſculo; ſeu deambulatio pedes & crura moveat, ſeu turbo manus & brachia; ſeu pilamalleus etiam humeros. At in gaudio nobiliſſimum viſcus, quæ ejus eſt tanta cum animo conſenſio, nonmodo ſubitam, ſed toti corpori communem emittit, æquabilemque ſanguinis aſpirationem; quæ lubricos & molles oculos ſimul acuit, os ludibundum regit, genas imbuit & diducit, micantibus arteriis venas implet, nervos intendit, animam corpuſque tam leni ſpirituum incremento demulcet, ut ſingulæ partes, quaſi communicato lætitiæ ſenſu ne titillentur quidem; ſed internæ potiſſimum, ſanitatis cuſtodes, ſuaviſſimo calore perfuſæ, & aperta viarum omnium libertate invitentur, ad quodlibet impuri & alieni humoris onus à probo ſanguine ſecernendum, & per publicas privataſque meatuum vias ſuo tempore deponendum; quo tandem vitæ & ſenſuum opus ſuis undequaque numeris abſolvatur.

EXTERNA tantummodo membrorum exercitatione utere, ſæpè ſimilis eris frigido Rhetori, qui tametſi geſtus ad imitationem ſaltationis componat, parum incaleſcit. Verùm ſi gaudio exerceris, vehementis Oratoris inſtar qui dicendi genio obtemperat & indulget ſuo, ut parum te commoveas, in fermento totus eſſe videberis. Tam facilis eſt, ne dicam, lubricus & præceps caloris ſpirituumque impulſus à lætiore animo; quam longo beneficii intervallo diſcrepat gaudium ab externa exercitatione; & à gaudio triſtitia. Tabifica iſthæc animi commotio, quæ coarctato utroque ſucci vitalis fonte & alueo carnem, cutem, nervos & oſſa exſiccat, nedum viſcera refrigerat, ſenſuum aciem obtundit, curſum ingenii premit, mentem inficit, & corpus venenat. Hoc deinde animi motu torpentibus, ceu melancholia ægris hominibus choræas ludoſque proponas atque ſuadeas; id profecto ſine ullo ſanitatis fructu, qui ſolo lætitiæ commercio uberrimus caperetur. Quam igitur incautus fuerit & infœlix, qui in hac tanta rerum viciſſitudine, contubernalem ſibi non fecerit de honeſta quadam hilaritate Medicinam omnium temporum & horarum! Cùm præterea nefas ſit cuicumque, niſi ventriculus conſulatur & corporis ſtatus, vel lentâ deambulatione exerceri, equitatione, aut vectione; quantulâ motionis ſpecie aut ſalute, ſi gaudium attenditur nemini non ſuave, nemini non ſalubre, dum in eo modus teneatur. Immoderatum alioquin novimus in eripiendo ſpiritu idem potuiſſe, quod fulmen. Tanta ei vis eſt mutandi corporis, ut hos ſubitò compreſſerit quos nec timor, nec ira, nec ulla externæ exercitationis vehementia exſtinxiſſet.

Eſt igitur corporis exercitatio omnium ſaluberrima à gaudio.



Aſſerebat Pariſiis PETRUS PAULUS GUYART, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1678.